



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De Alheide sanctimoniali in Lancvvaden, quae per confessionem à visibili  
infestatione liberata est, cap. 13

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

minino feminina: sicq; dicunt magistri in his, qui de eis nascuntur, veritatem esse humane naturæ, eosque in iudicio vt verè homines resurgere. Hæc de his sufficiant, nunc reuertamur ad confessionem, de qua occasione interrogationis tuæ aliquantulum digressum est, exempli causa.

## CAPVT XIII.

*Confessionis generalis virtus.*

**B**onnæ ciuitatē diocesis Coloniensis sacerdos quidam fuit nomine Petrus, eiusdem Ecclesiæ vicarius: iste, nescio quò Dei iudicio, in cameræ suæ ostio se suspendit, cuius concubina, Alheydis nomine, tam horrenda eius morte territa, seculum deseruit, & in cœnobio quodam sanctimonialium, quod Lancyvade dicitur, religionis habitum suscepit. Die quadam, cū stans in dormitorio de fenestra prospiceret, & contemplata esset iuuenem, imò de iuvene dæmonem, stantem iuxta puteum muro dormitorij contiguum, qui ea vidente vnum pedem super lignum, quo ambiebat, puteus, posuit, & altero se quasi volitando ad ipsam in fenestram deposuit: quam cū extensa manu per caput rapere conaretur, territa retrorsum cecidit & clamauit, penè exanimis facta. Audito eius clamore, accurrere sorores, in lectulum suum illam reclinantes. Recedentibus illis, cū paululum respirasset, solaque iaceret, dæmon iterum adfuit, & verbis quibusdam amatoriis eam sollicitare cœpit: quæ cū contradiceret, intelligens spiritum eum esse malignum: respondit ille: Bona Alheydis, noli sic dicere, consenti mihi, & ego te habere faciam virū honestum, probū, nobilem, diuitemque: quare fame te crucias in hoc loco paupere, vigiliis aliisque multis incommodis ante tempus te interficiendo? Reuertere ad sæculum, & vttere deliciis, quas Deus homini creauit, nihil tibi, me duce, deesse poterit: Tunc illa: Doleo quòd tam diu te secuta sum, recede, quia non acquiescam tibi. Post hæc verba dæmon nasum emungens, contra eā ipsam immundiciam ad parietem lecti tam fortiter projecit, vt pars aliqua resiliens, vestimento eius adhereret, sicque disparuit: eratque emunctio ipsa sicut pix niger-



nigerrima, & tanti fœtoris, vt tolerari non posset. Deinde cum spiritus ille nequissimus die noctique esset ei infestissimus, suaserunt quædam ex sororibus, vt aquam benedictam semper paratam haberet, qua venientem aspergeret: aliæ verò, vt eundem, si aquam non timeret, thurificaret. Omnia quidem hæc tentavit, sed modicum ei profuit. Nam quotiens contra se signum crucis factum vidit, asperisionem etiam, siue thurificationem, ad modicum quidem cessit, sed statim rediit. Tunc vna cæteris sororibus ætate maturior atque prudentior suavit ei, quatenus dæmonem propius accedere sineret, & tunc alta voce salutationem angelicam in eius faciem iacularet. Quod cum fecisset, diabolus, ac si sagitta esset percussus, vel turbine impulsus, aufugit, nec vnquam propius ei ex illa hora accedere præsumpsit. **APOLLONIUS**: Deinceps nō mirabor, quod diabolus Angelicam salutationem dicere vel incipere non potuit, sicut te dixisse recolo superius cap. vj. **CÆSARIUS**: Huius loci ibidem recordatus sum. Sanctimonialis verò tali iaculo munita dæmonem ab illa hora vidit sine terrore, & audiuit sine timore. Die quadam de his loquens cum viro quodā religioso, suavit ei ille, dicens: Fac Priori tuo confessionem generalem purè, plenè, ac deuotè, in quātum occurrit memoriæ, & liberaberis omnino a dæmonis huius infestatione. Cui cum consilium tale placuisset, mox accedens ad priorē, rogauit sibi præfigi locum & horam audiendæ confessionis. Manè dictis Matutinis, illa se præparans, festinauit ad locum præfixum, capellam scilicet monasterio adhaerentem, vbi Prior expectabat. Et ecce dæmon occurrens in via festinanti, dixit: Alheydis, quò vadis, quò properas? Et illa; Vado confundere me & te. Tunc dæmon: O Alheydis noli, noli, reuerrere, reuerrere. Respondit illa: sapius confundisti me, ego modò confundam te, non reuertar, quā cū non posset bladiis siue minis retrahere, sequebatur eā vsq; ad locū cōfessionis, sicut miluus in aëre super ipsam volitans. Quæ mox vt genua corā Priore flectens ad confessionem os aperuit, ille

*Virtus  
Angelica  
Salutationis.*



clamans & eiulans euanuit, nec vnquam ab illa homine ab ea visus vel auditus est. Ecce hinc habes manifestum exemplum, quantæ virtutis sit confessio pura. Hæc mihi relata sunt à domino Hermanno abbate loci sanctæ Mariæ, qui cū talia, fama diuulgante, cognouisset de præfata femina, sibi optimè nota, cū esset Bonæ canonicus, ad locum per se ipsum accessit, & eo ordine, quo dicta sunt, ab illius ore cuncta audiuit. APOLLONIUS: Si confessio tanti ponderis non esset, nequaquam demones tam grauitur turbaret. CÆSARIUS: Occurrit aliud exemplum, in quo satis agnosces, quam grauissimè exacerbentur, cū peccata nostra confitemur. Hæc quæ dicturus sum, post conuersionem meam facta sunt, & a domino Carolo mihi relata aliquando Priore nostro, tunc Abbate Vilatiensē: nomē personę ac loci satis doleo me non retinuisse. Ait enim sic:

## CAPVT XIV.

*Diaboli  
mira  
fraus,  
confessio  
ne tan-  
dem vi-  
cta.*

**E**Rat quidam sacerdos, & adhuc est, admodum religiosus, & ob vitæ meritum multis dilectus, in partibus nostris parœciam regens. Inuidens gratiæ eius mille artifex diabolus, nolebat eum apertis tentationibus molestare, sperans illū specie boni ad suum cōsiliū efficacius inclinare. In angelum lucis se transfigurās minister ille tenebrarū, ostendit se sacerdoti, & ait: Amice Dei, missus sum ad te, præparate, quia hoc anno morieris: Sacerdos verò, nullā habens de angelo malo suspicionē, sed ita credēs esse futurū, vt prædixerat, cœpit se diligenter quasi ad mortem præparare, conscientiam per confessionem mundare, corpus ieiunijs, vigilijs, assiduisque orationibus castigare, annonam suam cum supellectili egenibus erogare. Cumque multi ab eo quærerent, cur tam indiscretè sua distraheret, vni illorum sub typo confessionis causam aperuit, dicens: Angelus Domini reuelauit mihi, quòd hoc anno moriturus sum. Ille verò, cū hoc minimè posset celare, alteri cuidam sibi familiari dixit, sicque per eum ad notitiam totius parœcię peruenit. Anno completo, sacerdos non est mortuus,